



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. Quibus sepultura Ecclesiastica sit concedenda vel deneganda?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. VII.

Quibus sepultura Ecclesiastica sit
concedenda vel deneganda?

In genere dici potest, quod omnes fideles seu baptizati in loco sacro sint sepeliendi, nisi lege canonicâ vel consuetudine, ob crimen aliquod sepulturâ Ecclesiasticâ priventur. *can. nullus 18 junct. Gloss. caus. 13. Quast. 2.* sunt tamen pluri etiam, quibus sacra sepultura neganda est, sic 1. prohibentur in loco sacro sepeliri infideles, hæretici, & qui non sunt baptizati, etiam si sint infantes ex baptizatis parentibus geniti, aut Catechumeni. 2. prohibentur in loco sacro sepeliri, qui se ipsos sponte & voluntariè occiderunt, quod crimen in ordine ad privandum sepulturâ sacrâ non facillè præsumendum est, etiam si quis reperiatur v. g. in puteo, vel flumine mortuus, aut suspensus, cum per insidias, aut violentiam alterius &c. potuerit talis esse interfectus. 3. Prohibentur in loco sacro sepeliri excommunicati; quæ prohibitio post Concil. *Constan. in extravag. ad evitanda.* locum tantùm habet in excommunicatis, ac vitandis, ob rationem in *c. sacris 12. b. 2.* allatam, ubi prohibetur excommunicatorum sepultura, quia, quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare debemus, ergo à contrario sensu bene infertur, illis etiam mortuis per sepulturam communicare nos posse, quibus vivis potuimus communicare, sicuti possumus ob *extravag. allatam*, omnibus excommunicatis non denunciatis, ac vitandis: negari tamen non potest, quod hæretici in nostra Germania, si in sua hæresi impœnitentes moriantur, ob

specialem prohibitionem in *c. excommunicamus 13. de hæret.* in loco sacro sepeliri non debeant, cum indecens sit, ut in tali loco sepeliatur, qui præcisus est ab Ecclesia, neque suffragiorum Ecclesiæ capax est, & consequenter per talium in loco sacro sepulchrum irreverentia fiat loco sacro: si tamè ob potentiam v. g. hæreticorum hoc devitari non possit, aut dudum sepulti in tali loco jaceant hæretici, nec delinquet parochus, ad hæc permitenda coactus, nec talium sepulchrorum cadavera exhumari debent, prout de vitandis ac denunciatis excommunicatis videtur præcipere *cit. c. Sacris*, cum per hos sepultos non denunciatis aut vitandos, nec violetur Ecclesia, nec sine magno scandalo, ac perturbatione talis exhumatio fieri possit. 4. prohibentur in loco sacro sepeliri, qui in torneamentis seu hastiludijs, ex quibus probabile periculum mortis imminet, sunt mortui: qui in duellis (saltem solemnibus) occumbunt: qui manifesti sunt usurarij, nisi prius restituerint, aut de restitutione cautionem idoneam præstiterint: qui sunt manifesti raptores, aut blasphemæ, si impœnitentes decesserint: qui paschalem communionem ab Ecclesia præceptam peccaminosè neglexerunt: qui decimas Ecclesiæ non solverunt &c. vide *Sylvestrum V. sepultura. q. 10. dist. 2.*

